



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm V. De non discendendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

D E C R E T V M I V.

De prajudicio non afferendo.

Decernimus, si cui contigerit suo loco non sedere aut incedere aut vocari, aut aliud quidpiam agere, propterea nemini novum jus acquiri, nec quidquam de cujusquam jure possessioneve detrahi, sed in eo ipso statu permanere, in quo ante hanc Synodum esse reperiebatur.

D E C R E T V M V.

De non discedendo.

Vobis præterea omnibus & singulis, qui huic Synodo de jure vel consuetudine interesse debetis, penâ excommunicationis propositâ vetamus, ut ne vestrum quisquam à Civitate discedat, antequam hæc Nostra Diocesana Synodus de more absolvatur, & dimissa sit; sed huic Synodo, Synodalibusque actionibus, Sessionibus, & conventibus quibuscunque, qui indicentur, omnes & singulos vos interesse volumus, eadem excommunicationis penâ propositâ.

D E C R E T V M V I.

De oratione publica.

Quoniam veteris est instituti, solemnisque ritus in Synodali conventu, pro publicis rebus orationem fieri; quod his maxime temporibus faciendum est; ideo in omni prece, & à Sacerdotibus præsertim in Missæ sacrificio, hoc tempore Synodali per integrum octiduum, ad Deum orationem adhiberi edicimus; nimirum

Punctum I. Omnes orent pro Sanctissimo Domino nostro Papa INNOCENTIO X.

II. Pro Serénissimo Archiepiscopo Coloniensi Metropolitano nostro MAXIMILIANO HENRICO, & Antistite nostro FRANCISCO GVILIELMO.

III. Pro unitate & tranquillitate Principum Christianorum, & omnium Statuum Ecclesiæ Catholicæ.

IV. Pro pace publica Imperii Romani.

V. Pro constanti perpetuaque Cleri ac populi Diocesis Osnabrugensis bene pieque agendi perseverantia.

VI. Pro ministris, qui ad Ecclesiæ hujus Osnabrugensis cultum adhibentur.

VII. Pro salutari hujus Synodi successu.

VIII. Pro perfectâ omnium Decretorum executione.

Leito hoc Decreto, Secretarius Synodi denuo descendis ex suggestu, unâ cum promotoribus accessit

ad Illustrissimum; & primus Promotorum institit pro faciendâ fidei professione, sub præscriptâ formulâ, ut sequitur.

Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine clementissime. Cavit SS. Concilium Tridentinum, ut omnes, qui beneficia Ecclesiastica consecuti sunt, & qui Synodo Diocesana interesse debent, in eâ Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem faciant ac præstent; prout illa Tridentina sanctio expressum est. Ideo nos, hujus Synodi Promotores, humiliter petimus, & requirimus, sanctionem illam legi, & ad præscriptum, ab iis, qui tenentur, omnia & singula præstari.

Reverendissimus & Illustrissimus respondit; Decernimus & mandamus ita fieri. Discedentibus illis, Secretarius de suggestu legit

D E C R E T V M V I I.

De professione fidei faciendâ.

Sacrofanctâ Tridentinâ Synodo illud gravissimè sancitum est, ut, quicumque in posterum beneficia Ecclesiastica obtinebunt, qui item in Diocesana Synodo convenire debent, omnes in eâ ipsâ Synodo, quæ quoque tempore celebrabitur, fidei professionem præstent. Universos igitur & singulos, hic præsentem, jubemus & precipimus, fidei professionem præstare, quæ eandem inUPERâ Synodo non emiserunt.

Leito hoc Decreto, idem Burenus ex cathedra edixit: Accedant igitur omnes & singuli, ut emittant genuflexi dictam fidei professionem.

Mox genuflexerunt, cum Illustrissimo, omnes suis locis; itaque genuflexi permanserunt, donec, eorum nomine, formula professionis fidei, de suggestu, à Secretario stante & aperto capite, legitur, usque ad illa verba: Sic me Deus adjuvet.

Reverendissimus igitur & Illustrissimus, omnibus bono exemplo præluere volens, in hac primâ Synodo post restitutionem Episcopatus sui, primus omnium ante altare genuflexus, coram Deo, fidei professionem emisit, in breviori ut sequitur formula.

Ego N. N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, ac juro, ut in decreto & formula professionis fidei, verbis ex bulla lectis, singula singulis referendo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. & mox subjunxit ex Evangelio S. Joannis, illud ambabus manibus tangens, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.

Deinde surrexit Illustrissimus, ac ad ipsius manus mox Dominus Officialis, Promotores, Secretarius, & Actuarius Synodi, professionem fidei emiserunt, ut aliorum, præter Illustrissimum, fidei professiones excipere possent. Mox Capitulum Cathedralæ,

Vi habetur superius, pag. 27. col. 2. & pag. 232. col. 2.